

Christi non tribuamus omnipotentiam, tamen ob vnitatem hypostasios, duas naturas complectentis, recte dicitur omnium dominus, quem admodum Christiane ac pie dicimus, Deum passum ac mortuum, Sed peculiari ratione, Christus dicitur dominus credentium, seu electorum, & ideo symbolo additur, nostrum, quo admonemur, quotquot in Christo per baptismum renati sumus, quotquot habemus redemptionem per sanguinem eius, vt rotos nos ei dedicemus & hunc vnicum dominum nostrum profiteamur, qui nos a dominatu Satanæ liberauit, & sibi peculium & populum acquisitionis fecit. Nam quum essemus serui peccati (qui enim facit peccatum, seruus est peccati) & per peccatum diabolus in nos tyrannidem obtineret, is clementissimus dominus, nostri misertus, ab hoc tyranno crudelissimo dominium in se transtulit, & nos suo lauissimo iugo subiecit, vt qui in baptismo diabolo renuntiamus, & ipsi vti domino nostro nomen damus, ipsius etiam præceptis per omnem vitam voluntarie parere, & sub eius tutela securi viuere & possimus & debeamus. Suauissima vox est dicentis: Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. Sed vide quid reposcat: nempe vt quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus. Certi, quod ab eo toti pendentes, tuti simus ab omni periculo. Nam oues quæ audiunt vocem eius & sequuntur eum, non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu eius. Breuiter, dat eis vitam æternam: nimirum a patre impetrans hic benignissimus dominus, vt vbi ipse est, illic sit & minister eius.

Christus omnium dñs.

Peculiari ratione dominus credentium

1. Petri. 1.

Ephc. 1.

1. Petri. 2.

Iohan. 8.

Coloss. 2.

Math. 11.

Roma. 6. 7.

Iohan. 13.

Christo fideli,

ab omni periculo tutus.

Iohan. 10.

Iohan. 17.

Iohan. 12.

ET quamquam secundum hanc rationem humanitatis assumptæ & operatæ redemptionis dominus noster sit, Non dedignatur tamen secundum eandem, nos suos compellare fratres, & pro seruis amicos. Quid nisi quum nec dedignatus sit agere ministrum: Ego (inquit) in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. At hæc vocabula non æqualitatis, sed similitudinis, cognationis, & charitatis sunt. Nam quod & ad humanitatem attinet, habitu quidem inuentus est vt homo, receptis in se omnibus incommodis, quæ naturæ veritatem comitantur, vt sunt, esurire, sitire, lassari, angustæ, denique mori, idque volens nostra causa, vt exolueret quod nos commerueramus, sed interim gratia & veritate semper plenus, nempe in quo inhabitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, expers omnis peccati, & ad peccandum procliuuitatis, erroris.

Christi, quatenus homo, fratres sumus.

Math. 23.

Iohan. 15.

Lucæ. 22.

Philip. 2.

Math. 26.

Lucæ. 24.

Iohan. 1.

Coloss. 2.

Ignorantiæ breuiter omnium quæ vel non congruunt dignitati personæ (quæ simul erat deus & homo) vel gratiæ plenitudinem excludunt.

Qui